



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Georgii Calixti S. Theol. D. Et In Acad. Ivlia Primarii  
Professoris Wiederlegung Der vnchristlichen vnd  
vnbilligen Verleumbdungen/ damit Jhn D. Iacobus VVeller  
ChurSächsischer Oberhoffprediger ...**

**Calixt, Georg**

**Helmstedt**

Desiderivm Et Stvdivm Concordiæ Ecclesiasticæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36653**



DESIDERIVM ET  
STVDIVM CONCORDIÆ  
ECCLESIASTICÆ.

**S**Vnt etiamnum in orbe homines, qui Scripturam *Ἱερότευγον*, cui quod religionem attinet, Christiani innituntur, nullam aut norunt, aut admittunt. Horum alii etiam si agnoscant unum summum Deum, ei tamen plures subjungunt, & divino cultu prosequuntur: alii solem, lunam, stellas venerantur: alii alios deos sibi fingunt: aliqui vix ullo numinis sensu tanguntur. Ethnici, gentiles, pagani, idololatræ appellantur: nonnulli quoque feri & barbari, utpote *ἀνθρωποφάγοι*. Tales etiam si sint, homines tamen sunt. *Omnis peccator, ait Prosper, in quantum peccator, non est diligendus: omnis autem homo, in quantum homo, diligendus est propter Deum.* Sent. 267. Consortium itaque communis humanitatis, commiseratio erga tot pereuntes animas, & desiderium propagandæ gloriæ divinæ incitare debet Christianos, quibus illi vicini, aut aliâ ad eam rem copia vel opportunitas suppetit, ut miseris ab exitio eripiendis operam impendant.

II. Iudæi & Muhammedani ab idololatriâ alieni sunt. Illi codices Veteris testamenti, isti etiam Novi libros admittunt & probant. Illorum plurimi inter Christianos degunt & tolerantur; isti magnam partem nonnullis vicini sunt & aliquando amici. Vrgentior itaque

ratio, & promptior procedendi modus impellere debent; ne officio suo defint, qui vel ludæis familiaribus aut subditis, vel Muhammedanis vicinis & amicis utuntur.

III. Christianorum titulo etiam illi se venditant, qui tamen eo nomine vix digni, quod etiam si Christum quemdam in mundum venisse agnoscant; (unde forte Christiani nominis participes factos dixeris) præcipua tamen Christianæ fidei capita sive mysteria abnegant, nempe Deum esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sibi invicem *ὁμοιωσις*, & ex his Filium hominem factum pro peccatis nostris satisfecisse; atque adeo ejus passionis, morte & merito justificationem nostram & spem æternæ salutis niti. Hæc quia negant, Christianam fidem & religionem planè evertunt. Neophotiniani & Sociniani hodie appellantur. Ad eos prope accedunt Anabaptistæ, in tot sectas divisi, ut distinctè enumerare difficile sit. Quin tamen & his & illis ad meliorem mentem traducendis opera sit danda, nemo temere negaverit.

IV. Qui credunt ea, quæ Socinianos negare diximus, & proinde se non propriis meritis, sed virtute & merito passionis Iesu Christi peccatorum remissionem consequuturos, & post resurrectionem carnis suæ ad gloriam perventuros confidunt, ponuntque inter se & iram divinam meritum & mortem Christi; præterea baptizati sunt, & Eucharistiâ, prout datur, fruuntur; opera autem carnis non perpetrant, sed temperanter, justè & piè vivunt in præsentem seculo, expectantes beatam spem & illustrem adventum gloriæ magni Dei & servatoris nostri Iesu Christi: eos a Deo filios haberi, & ad hereditatem regni cœlestis admitti certum est. Tales autem

autem inter se longè magis conveniunt, & intimiùs  
conjunguntur, quàm pridem memorari: nempe sicut  
membra sub capite Christo. Odisse itaque non oportet.  
Nam *qui dicit se in luce esse & fratrem suum odit, in tenebris est usq; adhuc; imò homicida est.* Neque satis est  
vacare odio, sed diligere oportet. Nam *qui non diligit fratrem, non est ex Deo, & manet in morte,* I Iohan. III, 10  
& 14. *Christus est caput ecclesie, & ipse est  $\sigma\omega\tau\eta\rho$  sive salvator corporis sui, id est, ecclesie suæ, Eph. v, 24.* Qui extra corpus illud est, sive ejus corporis sub capite Christo membrum non est, non potest salvari. Qui verò ejusdem corporis sub capite Christo membra sunt, inter se sunt fratres & sorores. Quod igitur attinet Pontificios & Reformatos, aut negari oportet quemquam eorum esse membrum Christi, & affirmari, omnes, quotquot sunt aut fuerunt, etiamsi contra conscientiam suam nihil adferuerint aut egerint, laborantes ignorantia quam superare nequeant, nihilominus extra spem salutis positos & æternæ morti addictos esse; aut, si nobiscum æternæ vitæ participes esse possunt vel erunt, tamquam ejusdem Patris, (cui videlicet utrimq; dicimus, *Pater noster, qui es in cælis*) filios, tamquam concorpores & coheredes, tamquam fratres & sorores haberi & diligi oportet. Bene Catechismus Tridentinus in Explicatione Orationis Dominicæ: *Quum Patrem invocamus singuli, & NOSTRUM appellamus, docemur ex dono & iure divinæ adoptionis consequi necessariò, ut fratres sint fideles omnes, & inter se fraternè amare debeant.*

V. Pium igitur est desiderium eorum, qui experunt  
dissidia & odia, quæ invaluerunt, proh dolor! inter illos,  
qui tales sunt, qui ita, uti dictum fuit, credunt seq; gerunt,  
aut certè gerere debebant, mitigari, & si fieri queat, pla-

ne tolli. Bendet hinc non modo concordia & tranquillitas ecclesiastica, verum etiam civilis, interdum quoque domestica, sicut se hodie res habent in imperio Romano Germanico, ut de aliis regnis & provinciis taceam. Nam si Princeps persuasus sit subditos suos esse infideles aut haereticos; subditi similiter persuasi sint de Principe suo; uxor de marito, & maritus de uxore: qui fieri poterit, ut non emergant hinc inde sinistrae suspensiones, diffidentia, & aversiones ac adversitates animorum? Quae valido argumento elidentur, si non obstante sententiarum aliquarum diversitate alter alterum habeat Christianum, Dei filium, & proinde fratrem ac coheredem aeternae vitae. Haereticus strictè proprieque dictus non est fidelis, sed aequipollet infideli. Neque enim magis Deo est amicus, neque maiore in gratia, neque magis servatur, quam infidelis. Aequè perit, aequè consortio beatorum excluditur, ac perit & excluditur infidelis. *Quòd si autem infidelis discedit*, ait sanctus Paulus, aut se separat, *discedat & separatus esto*. Ergo itidem si haereticus vel haeretica, qui infidelibus nihilo sunt meliores, discedunt aut se separant, discedant & separati sunt. Ex hypothese igitur mutuae condemnationis conjugia inter hodiernos diversae hactenus professionis Christianos inita dissolutionis periculo objiciuntur. Etiam si verò actualis & externa per sacramentum communio, imprimis propter exortas circa idipsum infelices controversias, prohibeatur; perseveret nihilominus virtualis & interna, consistens in mutuâ benevolentia, & caritate, qualem Christiano debet Christianus, & in desiderio studioque removendorum impedimentorum, quae actuali & externa perfecta communioni obsistunt. Quo animo si simus, teterrimum schismatis crimen à nobis amolitur.

VI. In-

VI. Interea observandum, non esse viri boni ne-  
dum Christiani, aliud sentire, & aliud refragante con-  
scientiâ profiteri. Qui novit Cajum Sejo tres obolos  
debere, non potest sine reatu mortalis peccati contra-  
rium affirmare, vel testimonium perhibere, quod non  
debeat. Sic etiam, & multò magis, qui apud animum  
suum persuasus est, nullam esse Pontificis *ἀναμάρτητος*,  
nullum ex jure divino primatum, nullum purgatorium,  
nullam transubstantiationem, non potest salvâ consci-  
entiâ præ se ferre & profiteri, quod esse credat. Qui per-  
suasus est mandato divino se teneri ad sumendâ utram-  
que Eucharistiæ speciem, non potest illasâ conscientiam  
contentus esse unâ. Qui persuasus est præsentiam cor-  
poris & sanguinis Dominici in sanctâ Eucharistiâ verbis  
Dominicis affirmari, non potest eam sine ingenti reatu  
inficiari. Qui persuasus est, inquam, sententiam ali-  
quam esse veram, non potest absque mortali crimine e-  
am improbare vel damnare; & ne quidem simulare,  
quod improbet vel damnet. Est autem ingens discrimen inter ista: Ego hanc sententiam non existimo es-  
se veram; Ego hanc sententiam verè hæreticam judico,  
& omnes ei addictos à divinâ gratiâ & cœlesti regno ex-  
clusos. Prius de multis con modè & absque periculo  
invehendi vel stabiliendi schismatis dici potest; at non  
posterius. *quod non in rebus ab uno dicitur sup hâ*  
301. VIII. Nec hîc conveniens est terminus *Neutralitati*  
*ti*; è militiâ huc translatus. Neutrales enim qui dicun-  
tur, neutrius dissidentis partis causam probant vel im-  
probant, nec uni magis adhærent, quàm alteri. At hîc,  
etiam si sit desiderium tollendorum dissidiorum, unus-  
quisque tamen, qui quidem capax sit, isti parti, cujus  
sententiam veram esse persuasus est, actuali communio-  
ne jun-

ne jungitur, & hoc ipso ab opposito dogmate se alienum esse profitetur.

IIIX. Porro observandum, constituta esse divinitus, à quibus cognitis & creditis pendere debeat æterna hominum salus: nec hæc per arbitrium & constitutiones humanas augeri vel incrementum capere posse. Quæ igitur ad salutem Christianis primorum seculorum & martyribus Christi suffecerunt, hæc etiam nobis hodie sufficiunt. Dices fortè, Ergo non fuerit ad salutem necessarium credere quòd Filius sit æterno Patri *ὁμοῖος*. Respondeo, Rem ipsam credere nempe Filium esse verum & eundem cum Patre suo Deum, ad salutem, & ut Filio redemptori nostro debitus cultus præstetur, est necessarium. Per istud autem vocabulum rem efferre vel exponere, non quidem ad salutem est necessarium, est tamen suo quodam alio modo necessarium, nempe ad excludendas Arianorum ludificationes. Doctores sanè & antistites ecclesiarum non aliã ratione vel fide salutem consequuntur, quàm simplices Christiani. Multa tamen illis præ his scitu & cognitu sunt necessaria, non quidem directè ad salutem, sed ad salutarem doctrinam rite explicandam, confirmandam & defendendam, ut quisque suo loco & officio satisfaciat: & proinde non præcisè ut Christianis, sed ut doctoribus & præsidibus ecclesiarum. Ad quæ munia obeunda idonei non fuerint, qui formulas loquendi, quibus articuli Christianæ fidei à tot seculis universaliter proponuntur, capere aut nequeant aut nolint. Minimè verò permittendum, ut pereos ecclesiastica tranquillitas turbetur. Scripsit autem suo tempore Athanasius, quòd non deceat adversus eos, qui omnia alia Nicænæ fidei recipiant, de solo autem *ὁμοῖος* ambigant, & aliquam adversus inimicos affici. *αὐτῶν τὸς ἰσοδοχουέας τὴν μὲν ἀλλὰ*

De syno-  
dis Arim.  
& Seleu-  
ciæ.

ἄλλα πάντα τῶν ἐν Νικαίᾳ γραφέντων, τοῖς δὲ μόνον τὸ ὁμοῖον  
ἀμφιβάλλοντας, μὴ ὡς ἐχθρὸς διακείσθαι. *Neg, enim nos, in-*  
*quit, tamquam adversus Ariomanitas, neg, tamquā adversus pa-*  
*tres, eos videlicet, qui vocabulo ubi non fuerunt, pugna-*  
*turi controversamur, sed disceptamus tamquam fratres cum fra-*  
*tribus, eandem quidem, quam nos, sententiam tenentibus, cir-*  
*ca solum verò vocabulum discrepantibus.*

IX. Sed quoniam desiderium concordiae Christia-  
nae planè inefficax fuerit, nisi media ad eam promovenda  
& procuranda facientia adhibeantur, vitio verti  
non potest illis, qui diu huiusmodi cogitationibus in-  
cubuerunt, si quid sibi videatur, sine praëiudicio expo-  
nant. Nos quaedam breviter nunc subjungemus, aliàs  
ea luculentius explanaturi.

X. Quae praëcisè ad salutem sunt necessaria, distin-  
guantur ab aliis, quae pari modo necessaria non sunt: &  
si de illis fuerit consensus, quod ista attinet, etiam si actu-  
alis communio plenè exerceri nondum possit, cessent  
tamen mutuae condemnationes, & obtineat tolerantia.

XI. Cessent etiam convitia, λοιδοεῖαι, irrisiones &  
contumeliae: non fiat quod Donatistis exprobrat Opta-  
tus Milevitanus: *Nullus vestrum est, qui non convitia nostra*  
*suis tractatibus misceat; qui non aliud initiet, aliud explicet. Le-*  
*ctiones Dominicas incipitis, & tractatus vestros ad nostras in-*  
*urias explicatis. Profertis Evangelium, & facitis absenti fra-*  
*tri convitium. Auditorum animis infunditis odia, inimicitias*  
*docendo suadetis.* Inimicitiae & odia animis infusa & per-  
suasa iudicium turbant & obnubilant, ut argumentis  
quamvis efficacibus, minus moveantur, & inolitibus opi-  
nionibus tenaciùs adhæreant. Quae verò constat ab a-  
mico & benevolo affectu esse profecta, alacriùs excipi &  
fortiùs movere solent.

Libro IV.

G

XII.



Apud Eu-  
feb l. 2. de  
vitâ Const.  
c. 67.

XII. *Quæstiones, quarum decisio ad pietatem aut praxin Christianam sive spe salutis, sive cultu divino, sive officio caritatis, sive administratione sacramentorū, sive gubernatione Ecclesiæ exercendam nihil confert, omittantur, vel tamquam indifferentes in medio relinquuntur: ad populum autem temerè nunquam proferantur. Digna sunt quæ memorentur & considerentur verba Constantini Magni in epistolâ ad Alexandrum & Arium sub initium certaminis eorū, (quod tamen nondum, quantâ de re esset, adsequebatur) transmissâ. Tales quæstiones, quales nulla lex præscribit aut exigit, sed per infructuosum otium ortu inanis contentio ἀνωφελες ἀρητας ἐπεὶ χελίον excitat, etiamsi ad ingenium exercendum instituuntur, tamen interiore mentis recessu continere debemus, & neq; in publicos populi conventus temerè efferre, neq; vulgi auribus inconsultò credere. Quotus enim quisq; est qui rerum tam gravium, tantaq; obscuritate involutarum vim vel satis accuratè pervidere, vel pro dignitate explicare valeat? Quòd si quisquam sit, qui hoc se prestare posse confidat, quòta quæso est illa multitudinis pars, apud quam possit efficere, ut id ipsum ea intelligat? Aut quis tandem est, qui in curiosâ quæstionum eiusmodi per investigatione extra erroris periculum constituitur? De talibus itaq; multiloquium est coercendum, ne vel si nos per nostram imbecillitatem, quod queritur, exponere non valeamus, vel si auditores per tarditatem intellectus sui, quod sermone nostro expositum fuit, exactè capere nequeant, ex alterutro populus aut in blasphemii erroris, aut schismatis necessitatem incidat.*

XIII. *Quæ verò ita comparata sunt, ut populum non planè ignorare ex usu sit, quod de populo dissentientibus vicino vel immixto, quomodo multis in locis se res habet, affirmari potissimum poterit; ibi errores eâ dexteritate refutentur, ut erga errantes commiseratio potius*

rius subeat, quam excitentur odia & inimicitia. Illi in *Contra ep*  
vos sevant, ait Augustinus Manichæos, at quales hære- *fund. c. 2.*  
ticos! compellans, qui nesciunt, cum quo labore verum inve-  
niatur, & quam difficile caveantur errores.

XIV. Sufficiat consensus circa τὸ *Quod est* mysterio-  
rum, etiam si τὸ *Quomodo* non possimus penetrare. De  
Filio Dei rectè Ambrosius libro primo de fide ad Grati-  
anum, cap. v: *Licet scire quòd natus sit; non licet discutere,*  
*quemadmodum natus sit.* Et Gregorius Nazianzenus ora-  
tionetertiâ de Theologiâ, quæ est prima de Filio: Θεὸς  
γένεσις σιωπῆ πινάδι. μέγα σοὶ τὸ μαθεῖν ὅτι γεννηθείς, τὸ δὲ  
πῶς, εἰδὲ ἀγγέλοις μὴ ὅτι γε σοὶ εἰνοεῖν συγχωρήσωμεν. *Dei ge-*  
*neratio silentio honoretur.* Magnum tibi sit scire, quòd sit geni-  
tus. Quo autem modo, id ne angelos quidem, nedum te, intelli-  
gere concesserimus. Cyrillus Ierosolymitanus catechesi il-  
luminatorum xi: Ὅτι ὁ θεὸς υἱὸν ἔχει, τὸ τοῦ πῶς. τὸ δὲ πῶς,  
καὶ πολυπραγμονεῖ. Ζητῶν γὰρ ἔχ' εὐρήσῃς. *Quòd Deus Filium*  
*habeat crede: quomodo autem, ne sis curiosus.* Quamvis enim  
quæras, non invenies. Et Cyrillus alter, Alexandrinus vi-  
delicet, tractans de sanctâ Eucharistiâ ad sextum caput  
Iohannis, & verba Iudæorum, *Quomodo potest hic nobis*  
*carne suam dare manducandam?* Δεῖ ἐν τοῖς ἀρχαῖς πῶν  
θεῶν μυστηρίων πῶς μὲν ἔχειν ἀζητήτων, μηδὲν δὲ πῶν λεγομένων  
ὑπερβαίνει τὸ πῶς. Ἰσραηλιτῶν γὰρ τὸ ρῆμα, καὶ κολάσεως τῆς ἐσχά-  
της ἀφ' ἑαυτοῦ ἀπαίτιον. *Oportet nos in susceptione divinorum*  
*mysteriorum fidem habere curiositatis expertem, nec iis qua ad-*  
*feruntur subijcere illud QVOMODO.* Iudaicum enim est vocabu-  
lum, & extremi proinde causæ supplicii. Et mox: *Illud QVO-*  
*MODO de iis, qua Deus operatur, usurpare caveamus, sed potius*  
*studeamus ipsi committere, quòd operum suorum viam sive rati-*  
*onem eactè perspectam habeat.* Bene Augustinus episto-  
lâ cxi: *Non est metnendum, si nunc ad liquidum, que de Dei*

Lib. 4. in  
Iohan. ad  
c. 6, v. 52.

*naturæ credimus, conspiciere non valemus, ne inde sit dictum,*  
*Qui ignorat, ignorabitur, 1 Cor. xiv, 38. Congruè ad hoc*  
*ipsam infimæ ætatis scriptor Thomas Kempensis de imi-*  
*tatione Christi libro 1, cap. iii: Quid prodest magna cavil-*  
*latio de occultis & obscuris rebus, de quibus non arguemur in iu-*  
*dicio, quia ignoravimus? Posteriorum, quin & nostræ æta-*  
*tis homines circa res divinas & earum quomodo viden-*  
*tur voluisse ingenium magis exserere sive magis ingeni-*  
*osi apparere quàm aut par aut opus esset; & de iis plura*  
*& abstrusiora scrutari, nosse & proferre, quàm primi*  
*optimique Christiani, qui simplicitati acquieverunt.*  
*Hinc aliqua & quidem notabilis dissensionum scaturigo.*

XV. Sufficiat si sit consensus circa dogmata com-  
munibus & cuique notis vocabulis proposita, etiam si  
quando termini philosophici vel in Metaphysicis expo-  
ni soliti adhibentur, non usquequaque conveniat.

XVI. Ut etiam, quando hi adhibentur, convenire  
possit, usurpentur sensu, quem jam dudum & ab aliquot  
seculis obtinuerunt, nec iis novus aut inusitatus tribua-  
tur; nec abrogatâ veteri adsciscatur nova aliqua philo-  
sophia. Mutatâ enim philosophia invehit quoque muta-  
tionem in Theologiam, ubi scholasticè tractanda venit.

XVII. Sufficiat si nemo sit, qui opiniones duriores  
& incommodas docere vel defendere pergat. Pristini  
earum patroni, viri sæpe præclari & bene meriti, sed ali-  
quando humani aliquid passi, sine ulterioribus insecta-  
tionibus & condemnationibus quiescere permittan-  
tur.

XIIX. Nemini quidquam affingatur: nec verba, quæ  
sano sensu accipi vel possunt, vel debent, in pravum vi-  
olentâ & alienâ à mente auctorum interpretatione tor-  
queantur.

XIX.

XIX. Sententiæ Ecclesiarum, de quibus agitur, promantur & æstimentur non tam è particularibus earum doctoribus, quàm publicis confessionibus.

XX. Quæ Ecclesia affirmat, quod aliæ negant, & propter quod negatum eas communione suâ indignas judicat: illa idiplum probare debet.

XXI. Probandum autem erit primò & principaliter ex Sacrà canonicâ scripturâ. Quæ quoniam testimonium perhibet Ecclesiæ, quòd sit *columna & firmamentum veritatis*, præcipuè verò primitivæ, diras ab ethnica Româ persequutiones passæ, quòd fuerit Ecclesia *sanctorum & martyrum Iesu*, consequenter ex unanimi consensu primæ & priscae Ecclesiæ idiplum, quod controversum est, probandum venit.

XXII. Si quod affirmatur, non proponitur ut necessarium ad salutem, nec ut causa scissionis vel denegatæ communionis, haut opus erit de eo magnopere angi. Sin ut tale, necesse fuerit demonstrari, non modò quòd verum sit, sed etiam quòd tale verum, & quòd tale semper habitum & agnitum. Quid autem ut tale habuerit & agnoverit prisca Ecclesia, innotescit ex eis, quæ adultos, priusquam baptizarentur, discere & edoctos profiteri iussit. Quos enim baptizabat, non alio loco, quàm verè Christianorum & fidelium habebat, & mox usu sanctæ Eucharistiæ dignabatur. Nec ab eis aliud in posterum requirebat, nisi ut in eâ, quam professi essent, fide constantes, coetuique fidelium conjuncti piè & inculpatè viverent. Docebantur autem & profitebantur summam fidei Symbolo, quod Apostolicum hodie vocatur, comprehensam. Atque ita, quemadmodum de catechumenis ad martyrium abreptis Iuliano scribit Cyprianus, *integram fidem & Ecclesia unitatem*

1 Timi 3, 15.

Apos. 17, 6.

Epist. 73.  
num. 19.

tenebant, & ad debellandum diabolum de divinis castris cum plena & sincerâ Dei Patris, & Christi, & Spiritus sancti cognitione procedebant. Accesserunt deinceps symbola alia ad explanationem Apostolici facientia: & juxta quæ idipsum capiendum, si doctiores & doctores ultra simplicitatem ad accuratiorem disquisitionem progredi necessitas aliqua vel hæreticorum importunitas exigat. Accesserunt etiam doctorum scripta, de dogmatibus, quibus Ecclesia ejus temporis niteretur, testimonium perhibentia. Consensu itaque priscae ecclesiæ ex symbolis & scriptis manifestato doctrina Christiana recte confirmatur. Intelligimus autem doctrinam fundamentalem & necessariam, non qualvis annatas appendices & quaestiones, aut etiam quorundam Scripturæ locorum interpretationes. De talibus enim unanimis & universalis consensus non poterit erui vel proferri. Et magis apud plerosque spectandum est, quid tamquam communem Ecclesiæ sententiam proponant, quam quomodo eam confirmant aut demonstrent.

XXIII. Consensus quorundam doctorum, præsertim eximiorum, quamvis adsertionem non faciat esse indubitato veram, existimationem tamen aliquam probabilitatis conciliare natus est: quorundam, inquam, magnæ auctoritatis nec infimæ paucitatis doctorum consensus, nullo tamen vel Scripturæ testimonio, vel symbolorum & confessionum universaliter receptarum suffragio suffultus. Quod autem seorsim ab uno itidem eximio, verbi gratiâ, Athanasio vel Augustino adseritur, multò minùs hoc ipso verum esse evincitur: hæreseos tamen & impietatis haut facillè condemnabitur.

XXIV. Expositis & admissis principiis deducendæ sunt

sunt conclusiones, quæ sententiis dissidentium contradicant. Quò evidentius deducuntur, eò quoque evidentiùs elucescet conclusionum veritas. Evidentiæ autem consequentiarum dilucidè ob oculos ponendæ inserviunt syllogismi explicitè & in formâ, quam vocant, propositi: & ad hunc finem, nempe ut evidenter constet, num ex præmissis conclusio sequatur nec ne, divinitus & ab ipsâ naturâ destinati sunt syllogismi, quales diximus. Declamationes & prolixi sermones plerumque rem involvunt, & evidentiam consequentiarum incertam relinquunt. At fieri nullo modo potest, ut in formâ legitimâ ex præmissis nec falsis nec ambiguis deducatur falsa conclusio. Quum igitur omnium nostrum tantopere intersit, ut tandem liquido innotescat, num sententiæ, de quibus controversiæ eò usque excreverunt, ut schismati causam vel fomentum præbeant, ex Scripturâ & unanimi prisca ecclesiæ consensu deduci possint, an non; hoc ipso medio divinitus concesso, probationibus, inquam, non nisi in formâ, sicut loquimur, propositis, & responsionibus ad eundem modum comparatis utendum erit.

XXV. Nullis laboribus, nullis sumtibus, utur diuturnis & magnis parcitur, ut qualiscumque pax civilis reducatur. Cur verò tantumdem reducendæ concordie ecclesiasticæ, vel saltem minuendis dissidiis, quæ civilem pacem tutam esse vix permittunt, Christianismum deformant, & ab eo accessuros deterrent, non impenditur? Quin sine magno sumtu negotium maximum tractari poterit, si scriptis res agatur ad eum modum, cujus sub finem proœmii in Dissertationem de Igne purgatorio indicium factum est.

vide lit.  
sf 1.

XXVI.

2 Tim. 2,  
22.

XXV. Hæc non sunt decreta vel edicta, sed sunt consilia, profecta ab animo dissidia & odia detestante, & concordiaë flagranter cupido. Si ab aliis proferri queant rectiora, & fini consequendo aptiora, illa præ nostris obtineant. Utinam verò apud omnes præponderet nullus propriaë gloriolæ amor (quamquam errori agnito valedicere ingens gloria est, non opprobrium) sed amor & conatus divinaë gloriaë amplificandæ, & humanaë salutis procurandæ; & dilectio omnibus illis debita, qui *invocant Christum ex mundo corde*, sive qui eum verum & unum cum Patre & Sancto spiritu Deum, verumque hominem, suumque redemptorem & salvatorem esse agnoscunt, & inculpatè vivunt, sicut eam fidem professos vivere oportet.

XXVII. Qui tale desiderium & tale studium syncretismi & samaritanismi & atheismi condemnant, hoc ipso, quàm longè absint à caritate Christianâ, & quòd tranquillitatem publicam tum ecclesiasticam tum civilem avertentur potiùs quàm desiderent, palàm produnt & orbi testatum relinquunt.

HIERONYMVS dialogo adversus Luciferianos. *Si Ecclesiam per totum orbem diffusam non habet Christus, aut si in Sardinia tantum habet, nimis pauper factus est.*

---

HELMESTADII

In typographico Calixtino excudit, finemque imposuit anno MDCLII, mense Augusto  
HENNINGVS MULLERVS.